



Disputatio medica inauguralis de vera pleuritide

<https://hdl.handle.net/1874/347229>

D I S P U T A T I O M E D I C A
I N A U G U R A L I S
D E
V E R A P L E U R I T I D E,

Q U A M ,
D I V I N O F A V E N T E N U M I N E ,
E x auctoritate Magnifici Rectoris ,

D . H E R M A N N I v a n H A L E N ,

S . S . Theologiæ Doctoris , ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii , Verbique Divini ibidem in
Ecclesiâ Praconis ,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicorum consensu , Nobilissimaeque
Facultatis MEDICÆ Decreto ,*

P R O G R A D U D O C T O R A T U S ,
Summisque in M E D I C I N A honoribus & Privilegiis ritè , &
legitimè consequendis ,

Eruditorum examini submittit

H E N R I C U S C H R O V E T , Transmosanus
Ad diem 19. Junii , horis locoque solitis .



T R A J E C T I a d R H E N U M ,
Ex Officinâ F R A N C I C I H A L M A , Academiæ
Typographi , c l o i c LXXXIX .

Doctissimis Amplissimisque
VIRIS,
D. H E N R I C O
C H R O V E T,
In Ecclesia Ulnensi, Ortodoxæ
Religionis Ministro Fidelissimo
Patri meo, Filiali Amore Co-
lendo & Honorando.

D. W A R N E R O
C H R O V E T,
In eodem loco Medicinę Doctori
Celeberrimo, Fratri meo Cha-
rissimo, omnique reverentia
prosequendo.

Has Theses Inaugurales Dedicat,
HENRICUS CHROVET,
Auctor.

D I S P U T A T I O M E D I C A
I N A U G U R A L I S,
D E
V E R A P L E U R I T I D E ,
T H E S I S I .



Inter affectus Humanum genus, frequenter inuadere Solitos, Pleuritis haud ultimum sibi vendicat locum: Quapropter impræsentiarum, pro viribus, de hoc affectu tractare decreui.

I I .

Plerique antequam longius procedant, tam acuratè in Etymologiam nominis indagant, ac si in éâ, totum rei negotium, confisteret. Ego, verò ne in eundem scopulum impingam, eam retro relinquam, ut parum, vel nihil luminis, præsenti lemmati afferentem sed rectâ ad pleritudem sum progressurus, & dicam, esse inflammationem membranæ pleuræ, unius vel alterius lateris, muscularumque ut plurimum intercostalium, cum dolore punctorio & lacinante istius partis, respiratione difficiili, tussi, spu-
to plerumque sanguineo, febri acutâ continuâ cum omnibus suis Sympto-
matibus, inferius ostendendis.

I I I .

Dividitur hæc inflammatio, 1º. in Anticam, 2º. in Posticam, 3º. in Supernam, 4º. in Infernam, & denique, 5º. in dextram & sinistram & pro diversitate loci varia sortiuntur nomina. Sed cum hæ varietaes locorum non mutent, Essentiam morbi, parum solliciti erimus, an illa sit Antica vel postica &c. quia hæ omnes unam eandemque causam a-
gnoscunt.

A

IV. Ab

DISPUTATIO MEDICA

IV.

Ab auctoribus, variæ hujus affectus species notantur, sed quias pleræque earum vix pleuritidis nomen merentur, illas datâ opera prætermittam, retinendo tantum eas quæ dicuntur vera & spuria, sed ultima etiam parvi est momenti respectu prioris, quoniam a flatibus sæpiissimè circa & intra partes conclusis, transpirare non valentibus ortum dicit, qui statim in unam, statimque in aliam partem currentes dolorem vagunt & distensuum efficiunt. Nulla tussis, nulla materiæ cruentæ expectoratio, nulla etiam febris ad est, aut saltem si ad sit, partopare non videtur de ejus essentia, quibus Phenomenis à verâ pleuritide dignoscitur.

Vera autem pleuritis, de quâ (ut in Thesi prima dictum est) animus est differere, facile potest adhuc dividî in simplicem & compositam. In compositam, Ubi pleuritidi conjuncta, est, peripneumonia, inflammatio mediastini &c. in simplicem verò, ubi hæc illi non adjunguntur.

V.

His ita perspectis, ad causas me accingam. Causa autem proxima istius inflammationis, est sanguis, quo cumquæ modo (copia saltem mediocri) extravasatus & stagnans, qui intestina partium suarum fermentatione, excandescere incipit. Hæc excandescencia, ex eo oriri puto, quod particulæ sanguinis stagnantis & extravasati spirituosiores & volatiliores, paulatim avolantes, salinæ & acidæ ejusdem sanguinis particulæ, ab iis involui solitæ acris inter se pugnant, huncque effectum producunt: quamvis non negem, materiam mundi subtilem, indesinenter per poros nostri corporis fluentem eam adjuvare, ubi, sc: occurrit meatibus aliter quam naturaliter configuratis & compactioribus, impetum majorem in eos efficit, a quo particulæ istius materiæ extravasatae, coguntur e loco suo recedere & diversimodè agitari.

VI.

Quam plurimæ reperiuntur Causæ, cur sanguis extravasetur, 1º. nempe ipse sanguis potest esse in causa, ubi viscosior & glutinosior existit quam oportet 2º. ubi nimis abundat, & 3º. ubi acrior est. vasa 2º. etiam cum dese-

deferentia, causa esse possunt, 1^o. si comprimantur, 2^o. si obstruantur a pituita, vel a sanguine in ipsis existente, coagulato, a frigore sc: corpori calefacto superveniente vel ab acido nimis in sanguine, abundante: Unde si unum ex iis accidat, quis (nisi cœconomia Animalis omnino ignarus non videt sanguinem extravasari debere.

VII.

Huic affectui producendo, multum conferunt causæ externæ, & prima quæ occurrit, est frigus aeris valde acutum, 2^a. aer nebulosus & brumalis, itidem frigidus, qualis tempore hyemali observatur, unde, si aliquis (ejus corpore calido existente) se fere exponat aeri, unusquisque videt, talem aerem præsenti nostro morbo, anfan præbere posse, quia ab eo, obstructiones in vasis præcipue capillaribus, quam sæpe producuntur, 3^a. Causa, est aqua corpori inspersa, 4^a. alimenta viscosa & glutinosa, acida & austera item & acria, 5^a. Exercitia insolita. 6^a. Ictus aliquius rei duræ & obtusæ, lapsus in latus &c. quas omnes enarrare, nimis lungum foret.

VIII.

Difficultas hinc suboritur: cur, v. g. inflammatio sæpius in membrana thoracem intrinsecus cingente producatur, quam in alii partibus membranosis & similibus adstantibus?

Ad solvendam hanc difficultatem, dicam, quod commune est partibus membranosis & similibus, poros, respectu aliarum partium carnosarum &c. habere angustos & solidos, unde, si sanguis a quacumque causa extravaserit, illis in locis, cui nisi omnino rudi non est manifestum sanguinem potius in membranâ notatâ quam in partibus carnosis, stagnare?

IX.

Inflammatione sic explicata, progrediar ad enucleationem symptomatum, inter quæ, primò mihi occurrit dolor pectorius & lancinans. Dolor hic ex eo oriri arbitror, quod a cerebro multa oriuntur filamenta quibus nervi componuntur qui sp. Animalibus replentur, & per totum nostrum corpus disperguntur, talique modo positi sunt, ut simul ac solito

DISPUTATIO MEDICA.

vehementius titillentur & commoveantur, adeo ut rompantur, vel ruptionis periculum minentur, ope istorum nervorum sp. animalibus refertorum, oritur in cerebro tristis idea, quæ nomine doloris venit: unde luce meridiana clarus est a particul's acidis & salinis istius sanguinis extravasati & stagnatis, spirituosis & volatibus ex parte, privatis, salinas &c. temperare solitis, impetum, fermentando inter se, in hanc membranam facientibus, vel a sanguine ipso copia satis mediocri, effuso nimis distendente partes, inter quas existit, ita ut disrumpantur &c. orientur dolor pro varietate humorum & particularum, plane varius.

X.

Respiratio difficultis secundò sepe offert, quæ triplicem agnoscit causam. Prima est, angustia pectoris a tumore, in pleurā propter inflammationem, suberto. Secunda, sunt musculi intercostales istius partis in munere suo, laesi. Tertia, & præcipua in metu doloris qui ab expansione pulmonum, percutiendo partem inflamatam, oriretur, collocanda est.

XI.

Tussis autem, quomodo producatur, ex nostra hypotesi intelligi facile potest: nam omnibus satis notum est, tussin causari ab eo quod aptum est vellicare & irritare pulmonum parenchyma, hoc dicto, meridiana luce manifestius est, quod sanguis fermentando, continuò particulæ ab eo separantur, quæ penetrantes per poros membranæ pleuræ, licet angustos, occurrentesque nostro parenchymati valde sensili illud irritant & ad tussindum exitant.

XII.

Explicationem horum magis extendens, sputatio sanguinea mihi ob viam venit, quam plerique a membranā pleura vel musculis intercostalibus, provenire putant: sed propter viam denegatam & a nullis Anatomicis adhuc repertam, hanc opinionem sequi, mihi cordi non est; Verum dicturus sum, eam fieri a tussi vehementi, cuius ope, vasa aliqua capillaria sanguifera disrumpuntur & dilacerantur, qua disreptione cruenta sputatio sequitur.

XIII. Ex

XIII.

Ex Symptomatibus pleuritidis ferè semper comitibus, restat febris continua &c. quam etiam ex prædicta hypotesi deducere conabor. Omnibus satis notum est, per universum nostrum corpus, & in quascunque partes, vasa sanguinea, disseminari quorum aliqua parti inflammatae vicina, aliquas particulas, ex eodem loco fermentationem præternaturalem, excitare, aptas, salinas sc. & acidas temperantibus privatas (ut Thesi nona patet) secum deferunt, quæ ad cor delatae necessario eandem offeruescientiam tamdiu producere debent, ac novæ, nec temperatae ex eodem loco venientes sanguini commiscebuntur. In hac præternaturali effervescentia hujus febris essentiam consistere, mihi verisimile videtur.

XIV.

Symptomatis affectus nostri, sic deductis, paucis alia symptomata febrium continuarum in dividua evoluam sc. Pulsus celeriorem, dolores capititis, sitim, & vigilias.

Si memores simus eorum, quæ in Thesi præcedente dicta, sunt nempe Varorum sanguineorum partibus inflammatis vicinorum, facile nobis patebit, ab iisdem particulis sanguini permixtis, pulsus celeriorem produci: Dum enim hæ particulæ in corde fermentantur, cordis fibrillas valde irritant, à qua irritatione, major solitò fit sp. Animalium affluxus, qui cor ad subitam sui contractionem promovet, & celeriorem pulsus efficit.

Sanguis porrò, eo modo rarefactus, & ad cerebrum delatus, vasa sanguinea, valdè distendens, præmit fibrillas cerebri & meningum, vel particulæ acidæ & salinæ, harum spirituosis &c. ex halatis, eas fibrillas irritant, & dolores capititis causant. Sitim autem produci, ex defectu humidi in corpore probabile est, nam sanguis noster in corde plus solito effervesces, nimiam humidi dissipationem efficit, unde sanguis mollibus aquæ particulis fere orbatus, solivam minori copia sed sale valde imprægnatam prolignit. Hoc pacto igitur lingua, fauces, & cæteræ oris partes, præ defectu liquidi soliti, arescentes, & à sale abundante insuper vellicatae confusam ideam, quæ sitis nomine venit, in mente excitant.

Denique vigilias producuntur à sp. Animalibus, copia nimia in cerebro abundantibus, ut & etiam à dolore.

XV.

Eventus hujus morbi in genere est periculosus, minus tamen ubi simplex est morbus, quam compositus, minus recens, cæteris paribus, quam inueteratus, minus ubi expectoratio post quatuor quinque nadies succedit quam tardius, minus ubi in abscessum non mutatur, & ubi deliria non ad sunt quam contrâ &c, variat etiam eventus, pro ratione Symptomatum conjunctorum, & denique pro diversitate temperamenti, sexus, ætatis, temporis, corporis constitutionis &c. quæ omnia explicare nimis lungum foret.

XVI.

Hujus morbi curationem quod attinet, 1º. venæ sectio satis ampla est insti-
tuenda & si necessitas urgeat repetenda, nec refert quo in brachio aperiatur.
Ratio, cur sanguis emittatur, est, quod ejus ope, non tantum abstrahitur mate-
ria inflammationem adaugere, apta, sed etiam ejusdem ope omnia in
corpo fiant tranquilliora, 2º. Sanguis ille stagnans & extravasatus tem-
perandus, resolvendus, & perspiratio promovenda, Symptomataque ab
eo sanguine producta mitiganda sunt 3º. causæ omnes externæ vitandæ.
Sanguini extravasato & stagnanti conducunt multa medicamenta tam in-
terna quam externa. Interna sunt Rad. contra hyervæ, Chynæ, impera-
toriæ, Angel. fœniculi, Petro selini Zedoariæ &c. lignum guajacum fas-
safras juniperinum, ejusque Baccæ, quercinum, Buccinum &c. fol. &
femen card. bened. mariaæ &c. capillus veneris, scabiosa hyssopus &c.
Flores Chamemeli, Sambuci, Papaveris erratici &c. omnia salia volati-
lia, cornu C. vrinæ, salis armoniaci, fuliginis &c. item & salia lixivio-
fa, ut sal ex stipitibus fabarum fraccini &c. Antimonium Diaphoreticum,
Bezoardicum minerale, oculi concri, mandibula lucii piscis, corallium ru-
brum, lapides præiosi, lapis Bezoardicus orientalis & occidentalis, dentes
aprios de corde Cernu, Cornu Cerni calcinatum, omnia nitrosa, sol &
luna minutissimè trita, omnia opiate &c. quæ omnia rite adhibita vim
habent resolvendi & acidum concentrandii &c. ex quibus, omnibus pro
re nata, vel decocta vel mixturæ, vel boli, pulveres &c. efformari
possunt. ut

R. *Aq. fænicul.*

Hysopi aa. ʒijſ.

Ammoni Diapharet. vel

Bezoard mineral. DivElement.

Ocul. Concri ʒiſ.

Salis prunella ʒiſ.

Syrup. Papaveris Rheados ʒiſ.

Misce

Hujus mixturæ capiat æger cochlearia duo vel tria, vel amplius ut sudor levis erumpat in lecto bene tectus, eodemque modo continuet seq. diebus, bis in die, donec tota sit assumpta. Vel

R. *Antimon. Diaph. ʒiſ.*

Ocul. Cancri ʒiſ.

Corall. rubror præparat. vel

Margarit. ʒiſ.

Fiat puvlis mimitissimus in sex doses dividendus, quarum duas, singularis diebus capiet ægrotus, mane & vesperi, sudoremque ut anteā, in lecto tegumentis benè opertus, præstolabitur.

XVII.

Interdum tamen, si sitis valde urgeat, & febris adhuc perseveret, sequens julapium præscribatur per vices assumentum.

R. *Aq. portulace.*

Card. benedicti a ʒijſ.

Nitr. purificati ʒiſ.

Syrup. violar. simplicis

Portulace aa ʒiſ.

Misce.

Post hæc medicamenta quatriuum vel paulo ditius assumpta si expectoratio sponte non procedat & tussis remaneat, ad has adjuvandas, Apozema sequens est præscribendum.

R. *Rad. imperat. ʒijſ.*

Enila campana in thaleolas dissecta ʒiſ.

Althea ʒiſ.

Herbar. Hysopi.

Card. benedicti aa M. i.

Limat.

DISPUTATIO MEDICA

Limat. Cormi Cerni 3vi.

Ficuum pinguum no. vi.

Passul. exacinatar. 3i.

Flor. Papaveris errat. pugil. iii.

Glycyrrisa rafæ 3lb.

Contundantur quæ contundi debent & coquantur in aq. hordei suffi-
ciente quantitate ad colat. 3xx. Colaturæ adde syrup. hysopi hæderæ ter-
rest. a 3i. de quo, capiat æger aliquando haustulum.

XIX.

Si autem aliud sit valdè constipata, aliquod enema emolliens, ex ma-
lula, bis malua, floribus Chamemeli, sale gemmæ, vitellis ovorum, lacte
bubulo &c. vel suspositoria, ex alumine crudo, candelâ sebacea, rad. Betz
rubræ &c. concinnata, applicari possunt.

XX.

Externa vero medicamenta, que parti dolenti imponi possunt sunt 10.
sacculi, qui ex milo, floribus Chamemeli, sambuci, Papaveris, calcinato
sale, arenâ calefactâ conficiuntur. Cataplasma ex nidis hyrcundinum,
fursure, farinâ fabarum, in lacte cocta, adjecto sp. vini campharato &c.
Emplastra de Baccis Lauri, de spermate cæti, de spermate ranarum, de
labdano inguent. album Camphoratum, cærotum de cumino &c. con-
ducunt etiam omnia linteamina calidè applicata, & imprimis quæ pri-
mum à lotione veniunt, ex quibus pro lubitu unusquisque unum feligere
poterit.

XXI.

Causis externis succurritur, mitando aerem frigidum in calidorem, nebu-
losum, & brumalem etiam frigidum, in serenum arte vel natura Cali-
diorem, factum, reijciendo alimenta viscosa glutinosa &c. & earum loco
sumendo magis aromaticæ, facilisque distributionis, exercitia funto mo-
deratoria &c.

XXII. His

XXII.

His peractis ad reliquias morbi è corpore eliminandas purgauis sequens,
vel simile præscribatur v. g.

Resp. *Extratti Catholi.* gr. xv.

Aloci rosata Θβ.

Trochis. Albomd. gr. vi.

Mercurii dulcis gr. viij.

Diagrid. gr. ix.

Misce

Fiant pillulae septem, unâ vice devorandâ, superbibat ægrotus post se-
qui horam aliquod Jusculum.

XXIII.

Materia autem inflammationem causans, si non auscultet medicamentis
præscriptis, sed è contra abeat in abscessum (qui abscessus producitur ex
eo, quod sanguis ille stagnans & extraniatus, diutius fermentando, ejus
particulæ, longiore mora acres & corrosivæ evadunt, quibus, fibræ par-
tium inflammatarum adjacentium dilacerantur & exeduntur, & in cincin-
nos resiliunt, quapropter humores Circulantes & mititrationi in servientes,
coguntur illo in loco stagnare, & tumorem efformare) danda est opera,
ut arte, si non sponte foras promineat, postea apto instrumento, ape-
riendus, & materia per vices evacuanda, conuenientibusque medicamen-
tis detergendus & consolidandus.

F I N I S.

COROL-

COROLLARIA.

I.

Inter succum pancreaticum, & bilem dari naturaliter effervescentiam. Neg.

II.

Sed inter ventriculi-acidum & bilem. Aff.

III.

Vena & Arteria sunt continua.

IV.

Lac in Mammis ex sanguine non generatur, sed ex chylo.

V.

Ossa pubis, ab inuicem disjungi, in partu, Neg.

VI.

Contraria, contrariis non semper curantur.

VII.

Sublatâ causâ non semper tollitur effectus.

F I N I S.

COROL.